

NOS JOSEPHUS,

**MISERATIONE DIVINA ET S. SEDIS APOSTOLICAE GRATIA
PRINCEPS EPISCOPUS VRATISLAVIENSIS, SS. THEOLOGIAE
DOCTOR, EQUES ETC. ETC.**

DILECTI FRATRES ET DILECTI FILII.

Quoniam nullus dubito, in omni Dioecesi Vratislaviensi multa et diversa fuisse judicia de causis, cur tanto tempore ab electione mea in Episcopum Vratislaviensem electionis hujus ab Apostolica Sede non sit secuta confirmatio, mearum duxi esse partium, ut per praesentes prima ad vos facturus verba prius de tergiversationis hujus ab ipsa Sede Apostolica ad me perscriptis causis ingenue vos faciam certiores. Litterae Apostolicae die 9^{na} Maji ad me datae et praesentatae die 29^{na} Junii 1842 desuper sequentia exhibent:

„Una cum actis super electione ad Vratislaviensem ecclesiam de Te, dilecte fili, a Cathedrali Capitulo facta pervenerunt non ita pridem ad nos tuae litterae, quibus apostolicam confirmationem reverenter expetebas. Gravissima, quae ad hanc beati Petri cathedram ex universo catholico orbe assidue deferuntur negotia, prohibuerunt, quo minus instituto de iis actis consueto examine res citiorem, ut in votis fuisset, exitum consequeretur. Sed et aliam accessisse morae causam paterno animo nostro sane molestissimam minime dissimulamus. Talia quippe de tua agendi sentienteque ratione in his, quae ad sacrum ministerium, ad religionem et eccle-

siam pertinent, non una ex parte perlata sunt, atque etiam per nonnullas istarum regionum ephemerides edita, unde non potuimus vehementer angimurque turbari. Cum tamen sinistrae de Te relationes non sibi omnino essent consentaneae, nec ullo satis firmo niti viderentur documento, et plura aliunde suppeterent de tua virtute testimonia, re maturius coram Deo perpensa a concepto pridem angore requievimus, ut Tuam in episcopum Vratislaviensem electionem, apostolica auctoritate confirmare haud abnuentes interim canonicam de more inquisitionem committere decreverimus.“

Dum haec consueta sinceritate communicare vobis non dubito, id unum simul indoleo, quod sinistrae Romam de me factae relationes mihi non sunt communicatae, quoniam minime difficile mihi fuisset, refutare illas relationes, et confundere earundem relatores. Quod dum fieri non potuit, libera utique permissa est facultas, in me, et in mea agendi sentiendique ratione quaerere et invenire dilatae tanto tempore confirmationis meae causas, quapropter de genuina morae hujus causa vos certiores facere deesse non volui, sperans simul, Sanctissimum Patrem a conceptu ex illis relationibus animi angore, responso meo ad litteras illas apostolicas dato plene fuisse liberatum. —

His igitur praemissis

Gratia Domini nostri Jesu Christi, charitas Dei, et communicatio Spiritus Sancti sit cum vobis omnibus, Amen.

His nunquam satis aestimandis verbis gentium apostolus tum in principio, tum in fine litterarum suarum ad Christi fideles sui tempore eosdem salutatur, et iisdem, quae semper et ubique sunt optima apprecatur; et his apostoli verbis liceat et mihi, quos sub introitum meum ad vos praesens salutare non valeo, saltem in his primis, quas ad vos, Fratres et filios charissimos, mitto litteras salutare et optima quaeque vobis apprecari. — **Igitur gratia Domini nostri Jesu Christi, charitas Dei, et communicatio Spiritus sancti sit cum omnibus nobis, me nempe simul incluso, quoniam et ego non minus ac quivis vestrum opus habeo, ut gratia Domini nostri Jesu Christi et charitas Dei et communicatio Spiritus sancti sit mecum, quatenus in stadio, quod ingressus sum, cum fiducia curram, animo non deficiens. Nostis profecto, me neque conatibus, neque meritis meis, venire ad vos, ut studiorum et laborum vestrorum in cura animarum directorem agam et adiutorem, et ut coronarum vestrarum fiam particeps. Illud gratia Dei suffultus me praestaturum spero, et isthoc eo securius exopto, cum, uti nostis, non peregrinus in curae animarum studiis et laboribus tum**

primo ad vos pervenio, postquam per omnes ejus gradus cum capellanis capellanus, cum parochis parochus, et cum Archipresbyteris Decanus et Archiepiscopalis Vicarius, et onera et solatia curae animarum longa experientia didici et edoctus sum. Et licet ex alia Dioecesi ad vos venio, tamen me non latet, potissimam cleri nunc curae et vigilantiae meae concrediti partem et doctrina et zelo in commissa sibi provincia et religionis cura, et vitae et morum integritate esse commendatam et commendabilem, ac in populo solidum esse religionis et pietatis fundamentum, ut propterea sperare mihi liceat, futurum esse, ut non quasi dominans in clero, sed ut pater inter filios eadem, qua inter vos compareo, charitate suscipiar et a vobis. Et licet jam processi in diebus meis, tamen, quod in me est bonae voluntatis, et quod superest virium, totum in bonum religionis et ecclesiae catholicae, et in bonum utriusque reipublicae impendam, nunquam laetior, quam si confidens in eum, qui et in debilibus fortis est, muneri meo satisfacere studens vos convictos habuero, me non vanae gloriae studio, neque turpis lucri spe, neque dominandi cupiditate illectum ad munus mihi demandatum arripiendum extendisse manus. — Ac propterea alienus ab odio et partium studio et alienus ab indigna viro adulandi arte, quae bona et laudabilia invenero, semper et ubique laudabo; et quae improbanda et detestanda mihi obvenerint, intrepidus et nunquam terrendus corrigam, et improbabo, in id unum semper intentus, ut qui a supremo Pastore in candelabrum positi sunt, etiam fideli populo praeluceant, et ut semper inter nos una sit fides mentium et pietas actionum, et ut inter nos neque liberales, neque Hermesiani, neque murarii inveniantur, sed ut omnes simus fideles sanctae matris romano-catholicae ecclesiae filii. Ne autem in his primis ad vos litteris meis quasi aerem verberans et in incertum pugnans appaream, praeprimis quae *ad sacerdotem*, tum quae *ad ejus functiones* in votis habeo, vobis communicabo, suo tempore etiam, si opus fuerit, desuper et mandata daturus, nunc non nova, sed necessaria e thesauro experientiae proferens.

Quod a saeculis in hodiernum diem nova semper experientia confirmatum est, quod sicut sacerdos, sic et populus; primo etiam personam sacerdotis attendamus. Et quoad hanc in votis mihi est, ut generatim nos semper et ubique et in omnibus exhibeamus sicut ministros Christi et ut dispensatores mysteriorum Dei, quatenus qui ex adverso est, non habeat, quod malum dicat de nobis. Nullum, ait S. Gregorius, religio et ecclesia catholica majus patitur praejudicium et damnum, quam a sacerdotibus, qui in sortem Domini vocati hac vocatione sua dignos sese non exhibent, dum Deus eos, quos ad aliorum correptionem posuit, dare de se exempla pravitatis cernit; quando ipsi peccamus, qui compescere peccata

debemus; cum nulla animarum lucra quaerimus, sed ad nostra quotidie studia vacamus; terrena concupiscimus, et humanam gloriam intenta mente captamus. Et quia eo ipso, quo caeteris praelati sumus, majorem licentiam habemus, susceptae benedictionis ministerium vertimus ad ambitionis augmentum, Dei causam relinquimus, et ad terrena negotia vacamus, locum sanctitatis accipimus, et terrenis actibus implicamur.

Ne quaeso, haec sancti Pontificis dicta in quemquam nostrum jure cadant! ac propterea in vita et in habitu et in agendi ratione sollicite evitemus, quae offensam populi parare possint, et quae sanctus apostolus quasi specialiter sacerdotibus succlamat, dicens: nolite conformari saeculo. Nihil enim est, quod alios magis ad pietatem et ad Dei cultum assidue sic instruat, quam eorum vita et exemplum, qui se divino ministerio dedicarunt. Cum enim a rebus saeculi in altiore sublati locum conspiciuntur, in eos tanquam in speculum reliqui oculos conjiciunt, et ex iis sumunt, quod imitentur. *) Praeter vitae et morum honestatem, quam populus catholicus in sacerdotibus suis desiderat, amant specialiter parochiani non tantum in ecclesia, sed et in foro animarum suarum curatores etiam in externis, in habitu nempe et in agendi ratione agnoscere et discernere, ut iisdem et in publico debitam exhibeant venerationem; et e contra tristantur, et indignantur parochiani, si parochum aut capellanum suum ex habitu et vestitu cum levi homuncione confundunt. Quamdiu igitur militiae ducem non pudet, in habitu status sui comparere in publico, imo quamdiu isthoc honori sibi ducit; etiam sacerdotem, militem Christi, non pudeat, per signa distinctiva status clericalis sese ostendere sacerdotem, non sic dictos latrones patrum, sed collare clerici deferendo. —

Et licet bene norim, cucullam non facere monachum, tamen experientia docet, sacerdotes in omnibus saeculo nimis se conformantes, et vanitatum mundanarum sectatores sese manifestantes, raro, aut nunquam dignosci devotos et castos et orationis amatores. Oportet igitur clericos vestes statui suo, et proprio congruentes ordini deferre, et per decentiam habitus extrinsecam morum innocentiam et honestatem intrinsecam ostendere. Tanta autem hodie aliquorum in clero invaluit temeritas, et religionis contemptus, ut propriam dignitatem et honorem clericalem parvi pendentes pedes in diversa ponant, unum in divinis et alterum in carnalibus.

Est et alia temporis nostri in clero vanitas, antecessoribus nostris quasi prorsus incognita, dum nempe juniores et seniores sacerdotes in foro et in ecclesia incedunt perspicilia ante oculos gestantes, et in illis glo-

*) Trid. Sess. 14.

riantes, quoniam in saeculo ita moris est. Verum si junior sacerdos miops est, ab ordinatione debuisset removeri; et si senioris sacerdotis aut studio et multa lectione, aut senio lumen oculorum est debilitatum, perspiciliis utatur, ubi convenit et necesse est, non autem dum ad altare aut in ambonam incedit. Habet profecto sacerdos, parochus et capellanus majora et altiora, in quibus et ex quibus convenit gloriari, si nempe cum tempore progrediantur in studiis theologicis, si omnem curam impendant in elaborandas conciones et catecheses, et si scholas diligenter visitent, juventutem scientia Sanctorum imbuentes et omnibus bono exemplo prae-fulgentes.

Quapropter iterum iterumque cum Apostolo omnes et singulos vos moneo et obtestor, qui vocatione vestra sal terrae et lux mundi esse debetis, nolite conformari saeculo, et si forte adusque in nonnullis nostrum plus spiritus saeculi, quam spiritus Christi fuit inventus, deponantur, quae nimium saeculum redolent, et induantur, quae sacerdotem decent et honestant, ne vituperetur ministerium nostrum. Quodsi hac ratione parochus est, qui esse debet, supponere licet, etiam domum parochialem ita fore compositam, ut in illa habitet pax, et pietas et morum innocentia, quatenus ex illa per totam parochiam diffundatur bonus odor pacis et vitae et morum honestatis. Et si praeter expectationem in una alterave domo parochiali inveniantur, e quibus eam ingredientibus mox cognoscunt, cujus spiritus sint inhabitantes ejusmodi domum; et si sunt in illa, per quae fama et conscientia parochi et capellani laeduntur, et parochiani scandalisuntur; — haec, quaecunque sint, sine mora e domo parochiali ejiciantur, et lapis scandali et offensionis removeatur. Consultius quippe est, proprio motu eruere oculum, et abscindere manum, et projicere, ne urgeat necessitas, e domo parochiali totum expellere corpus, aut ex officio sacerdotali remove. Quod eo certius futurum est, quo intolerabilia et pestifera sunt, quae contra coelibatum peccantur, et cum nihil sit, quo conscientia parochianorum magis obtunditur, et confidentia et aestimatio erga animarum curatores in tantum destruitur, quam isthoc in domo parochiali daemoniorum genus, quod in nullo potest exire, nisi in oratione et in jejunio. Praeter haec taceo de itineribus cum famulatu muliebri, et de frequentatione popinarum, et de lusibus et haustibus in illis, quoniam nimis difficile est credere, inveniri inter nos, qui a talibus non abhorreant. Quod si igitur clerus erit, qui esse debet, etiam populus erit, qui optatur. —

Haec quoad personam sacerdotis; sequentia adhuc, quae ad ejusdem functiones. — Quae quoad functiones sacerdotis commemoranda veniunt,

in paucis his verbis continentur: Sancta sancte tractanda sunt. Semper igitur et ubique et in omnibus sancta sancte tractemus ad aedificationem et ad contentionem populi. Et ne quis existimet, non omnia, quae in officio agit sacerdos, aequalis esse momenti; nihil in omnibus est, quo, si sancte tractatur, non aedificatur populus; et e contra tristatur et scandalisatur populus, si quid in functionibus sacerdotalibus leviter ac parvi tractatur, quod a populo nimis bene observatur. Et ut in his vigeat per omnem dioecesim uniformitas, inter primas muneris mei curas haec erit, ut revisum Rituale reimprimatur, omnibus deinceps usui futurum, cum sacerdoti in cura animarum liberum non est, pro libitu suo uti Rituali, ne turbetur uniformitas in Ritibus, et ne populus offendatur, et ad dubitandum et in errorem inducatur.

S. S. Missae sacrificium a quolibet non legitime impedito sacerdote quotidie hora pro rerum et temporum circumstantiis fixa et statuta coram parochianis qua debet devotione et spiritus recollectione offerendum esse nemo nostrum dubitabit, quo majora in parochianos redundant damna, ubi mos invaluit, quo parochus a sacrificando abstinet, et se dispensat. Indignum porro mecum certe existimabitis, si parochus aut capellanus, sanctissimum oblaturus sacrificium, ultimus ecclesiam ingrediens festinat ad altare, et festinando et sine devotione peracto sacrificio et abjectis paramentis sacerdotalibus primus ex ecclesia auffugiat. Qui enim alios ad orandum monent et invitant, necesse est, ut et ipsi orent, dantes populo exempla, quae ad imitandum trahunt. Olim sacerdotes ad recitandum breviarium se obligatos credebant, et nonnulli hodie adhuc mecum per ejusdem recitationem obedientiae sacrificium deferre non desunt; et licet ipse non diffiteor, in breviario quaedam me optare emendata, tamen ex diversis floribus apes mel colligunt; et tristis experientia docet, sacerdotem, qui in uno facile se dispensat, et in altero facilius se dispensare, non ad aedificationem, sed ad destructionem populi.

Ad infirmum vocati, non tergiversetis aut morosi excipiat is vocantem, sed postpositis omnibus, quibus occupati estis, festinantes succurrite fratri aut sorori in Christo, in infirmitate corporis fatiscanti, et non raro morsibus conscientiae magis, quam morbi vi et doloribus exagitatis. Festinate succurrere infirmis, non aëris intemperiem aut noctis tenebras aut viae difficultates et itineris incommoda formidantes, aut infectionem ex morbo contagioso, firmiter persuasi, si vel unquam, tum praeprimis in hocce charitatis officio sacerdotem catholicum speciali Dei tutela gaudere, etsi in morbo contagioso, qui tamen rarus est, non negligat commendatas a medicis cautelas.

Ne porro in oblivionem deducatur sacramentum poenitentiae, sed ut hinc inde ex oblivione reducatur, diebus dominicis et festivis bono tempore parochi et capellani in ecclesia ad excipiendas fidelium confessiones compareant, hisce quippe diebus locus eorum praecipue in ecclesia est.

Ad dicendum ex ambona nunquam nisi bene et diligenter praeparati ascendatis, praesertim hisce diebus nostris, cum multi auditores sanam doctrinam non sustinent, sed ad sua desideria amant magistros prurientes auribus, et cum alii se, aut doctas fabulas, et non Christum et hunc crucifixum sunt praedicantes. Optime igitur praeparati ad dicendum ex cathedra accedatis, memores veteris adagii: Qui ascendit sine labore, descendit sine honore.

Nitorem domus Dei non tantum placere populo, sed etiam multum commendare ejusdem rectorem et praepositum, constat, quare sollicite curent parochi, ut qui fieri potest, nullibi desideretur nitor et puritas ecclesiae, et altarium et paramentorum sacerdotalium. Et licet bene norim, in paupere ecclesia eminentem nitorem exhiberi non posse, attamen sunt, quae sine magnis sumtibus bona voluntate et attentione perfici possunt, quae saltem, ut ubique perficiantur, moneo et exopto. Offendit quippe oculos ecclesiam visitantis, si ejusdem fenestrae araneorum telis obscurantur, et si excitato in imis et in supernis pulvere pulmones in illo versantium ad tussim commoventur et stimulantur. —

Quoad altaria praeprimis convenit, ut omnia munda sint, ut decet; et quoad paramenta sacerdotalia, etsi nova et pretiosa non sunt, quod multarum ecclesiarum paupertas non admittit, tamen munda sint, et non lacerata et in tantum attrita, ut eorum color non dignoscatur amplius. Ultra posse et in his nemo tenetur, haud tamen deceret, et excusandum foret, si domus servi Dei elegantior et magis ornata appareret, quam domus Domini Dominorum.

Diebus dominicis et festis, statuta pro locorum et temporis exigentiis, statuta et ex ambona promulgata hora divina in cantato et in dictione habeantur, et devotio pomeridiana; et diebus feriatis sacrum parochiale fixa hora celebretur; quo enim in hoc casu indulgentior est parochus exspectans adhuc venturos, eo certius multi parochianorum in divinis sero comparent existimantes semper adhuc superesse tempus. — Veris et aestatis tempore cum devotione pomeridiana catecheses jungantur, ut non solum parvuli doctrina christiana imbuantur, sed ut etiam adulti in memoriam revocent, quae quidem in juventute de religionis doctrina im-

biberunt, quae autem successu temporis per diversas vitae curas et per discrimina rerum non raro oblivioni sunt data.

Ut in cura animarum expositi parochi et capellani scholas diligenter visitent, et quae valent et possunt, conferant, quatenus in illis vigeat religionis amor et discendi zelus et docendi, ut ex illis exeant cultores religionis et egregii patriae cives et boni subditi regis; ad haec specialiter quemquam nostrum monere supersedeo, ne diffidere videar in vestrum zelum et in vestram etiam quoad scholas colendas diligentiam. Nostis profecto, me non monente, fratres dilectissimi, quae hisce temporibus omni ex parte impenduntur in scholas, et quae simul ab iis exiguntur, ut e scholis progrediatur bene instructa bona juvenus; quam deplorandum igitur foret, si per cleri incuriam religionis et patriae justae expectationes fructu fraudarentur; quapropter novo fervore et nova alacritate eo tendamus, ut et in hac officiorum nostrorum provincia officio et conscientiae fiat satis.

His igitur quoad functiones rite observatis, si et clerus erit, qui esse debet, etiam populus erit, qui optatur.

Et cum in hisce diebus nostris per uniones diversi generis et ad diversos fines magna et ardua praestantur, et perficiuntur ad promovenda negotia saeculi; quid obstat, fratres charissimi, quo minus et inter nos fiat et perstet unio, ad promovendum negotium maximum, scilicet ecclesiae nostrae sanctae et religionis et salutis aeternae? Agamus igitur, ut constituatur inter nos haec unio, quae imprimis unitis votis et precibus Eum, a quo bona cuncta procedunt, pro longa et felicissima conservatione Regis nostri clementissimi et Reginae Serenissimae flagitet, quatenus sub glorioso regimine tanti regis tranquillam et Deo placentem vitam agamus religioni, ecclesiae et Patriae servientes. Unitis viribus et paribus studiis tendamus eo, ut in sortem Domini vocati et in candelabrum positi fide et charitate et morum et vitae integritate, et exacta munerum functione concredito curae nostrae populo praeluceamus. Unitis viribus et paribus studiis tendamus eo, ut floreat religio et ecclesia catholica, et disciplina clericalis, et ut diligantur fratres et timeatur Deus, et honoretur rex optimus. Unitis viribus et paribus studiis eo contendamus omnes, ne inter nos sint schismata et dissensiones; maximum quippe inter nos malum foret, si inter episcopum et clerum suum nulla vigeret unitas et charitas et confidentia, cum ibidem tantum in clero salus est et benedictio, ubi inter episcopum et clerum suum unus est spiritus et una fides mentium et pietas actionum. Cunctis viribus et paribus studiis contendat unio inter nos,

ut induti armis fidei et prudenti zelo resistamus adversariis, qui ex ipso ecclesiae nostrae gremio exsurgunt, loquentes perversa, et quae non decent. Cunctis viribus et paribus studiis contendat unio nostra, ut intelligamus signa temporis, ne filii mundi in generatione sua prudentiores sint, quam filii lucis; et studeamus, vinculum unitatis fidei et spiritus conservare, ut non separemur ab invicem, alii Pauli et alii Cephae, non tantum inter nos, sed, quantum fieri potest, cum omnibus hominibus pacem habentes. Cunctis viribus et paribus studiis eo contendat unio nostra, ut super fundamentum religionis, quod in populo sese adhuc manifestat, aedificetur novum genus hominum, sectatores bonorum operum, et religionis et vitae et morum honestatis cultores. Haec et hoc modo agendo si clerus erit, qui esse debet, et populus erit, qui optatur; et haec et hoc modo agendo gratia Domini nostri Jesu Christi et charitas Dei et communicatio Spiritus sancti erit vobiscum; et ut haec fiant, dum quotidie Deum orabo, et vos pro me orate.

Datum Vratislaviae in residentia episcopali die 25^{ta} Aprilis 1843.



JOSEPHUS,

Princeps-Episcopus Vratislaviensis.